



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **CUM SANCTISSIMA ET** TEMPLUM IN URBE CULMENSI
SITUM ATQUE SS. TRINITARI
DICATUM AD DIGNITATEM BASILICAES MINORIS EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Cum Sanctissimae
Trinitatis mysterium, una cum mysterio incarnationis, passionis et resurrectionis Iesu Christi, maximum sit catholicae
religionis caput in eoque insit ceterum fidei depositum, et idcirco summam vim habest ad rectam credendi atque agendi
rationem, non parum interest illud, quantum fieri potest, in lucem poni illiusque cultum propagar, ut inde et mens
quaedam saltem intimae Dei vitae percipiat et cor exardescat ad ipsum redemptionis, sanctificationis et aeternae salutis
fontem diligendum. Qua re, quoniam Venerabilis Frater Marianus Przykucki, Episcopus Culmensis, cleri et populi animos
aperiens, ab hac Apostolica Sede petiit ut templum paroeciale eidem Sanctissimae Trinitati in urbe Culmensi dicatum,
titulo ac dignitate Basilicae Minoris ornaretur, Nos, eius templi considerantes momentum tum historicum, tum pastorale,
utpote quod fidelium frequentatione praestet sitque quodammodo Polonorum pietatis index, libenter expostulationem
admittimus, nihil dubitantes quin catholici in suae religionis cardine per hanc concessionem firmentur. Quapropter,
adprobantes quae Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino hac de re decrevit, datis a Nobis olim facultatibus,
templum quod supra diximus, id est Sanctissimae Trinitatis, in urbe Culmensi situm, titulo Basilicae Minoris insignimus,
omnibus cum iuribus et liturgicis privilegiis rite competentibus, dummodo serventur quae Decretum «De titulo Basilicae
Minoris» postulat, die VI mensis Iunii anno MCMLXVIII editum. Contrariis non obstantibus. *Datum Romae, apud S.
Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVI mensis Februarii, anno MCMLXXXII, Pontificatus Nostri quarto.* AUGUSTINUS
Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1982 - Libreria Editrice Vaticana